61 12

DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-nonâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LIII.

M. ANTONIO FERREIN, Professore Regio, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, & in Horto Regio Anatomes ac Chirurgiæ Professore, Doctore Medico, Præside.

An ex Tabaci usu frequenti vita summa brevior?

I.



QUI nescit in studiis anatomicis primum esse ponendum Medicinæ tyrocinium, invitâ Minervâ salutis aras attingit. Nec genio meliore ducitur, qui se ad eas tantùm corporis humani partes evolvendas accingit, quas Galeni temporibus rudis adhuc Anatomia retexerat: sibique ut emerito plaudit, si principum viscerum figuram, colorem, situm, musculorumque tendines & carnosam molem agnoverit. Curtum illud artis operosissimæ compendium, Lanii sibi habeant & Coqui: ut quid pluris venundari, quid palato gratius condiri possit, intelligant. At qui ea humani corporis arcana retegere meditatur, quæ Medicum nefas est ignorare, prima viscerum quærat rudimenta: exiliora vasa stylo & pneumaticis tubulis expandat: & quàm varia innumeræ glandulæ, vix lynceis oculis percipiendæ, offerant præterlabentibus succis incernicula, sedulus observet: tenuissimos nervorum processus, & ex multiplici illorum in diversas regiones distributione, partium consensus inquirat, ultima musculorum stamina attentis oculis, conspicillis adjuvantibus, & quas exiliores fibræ trochleas, fornices, spiras, arcus, cellulas extruant, animadvertat: atque ex illorum robore vel imbecillitate, de valetudine & vitæ diuturnitate benè vel malè auguretur. Neque verò in sola cadaverum sectione ponat operam: cum enim in vivente functionum omnium integritatem, tam fluidarum quàm solidarum partium, quibus ejus machina coalescit, discors servet conspiratio: ut quantùm fluidarum impetus positos sibi limites effringere tentat, tantùm solidarum robur nisus earum reprimat: non minori sedulitate liquidarum motum, quàm solidarum structuram, par est investigare. Viva itaque animalium scrutare præcordia. Sed his apertis Naturam

* *M. Guidonis-Crescentii Fagon, anno* 1699.

ſui ipſius interpretem auſculta. Nec ſcripta veterum, ſed quæ erunt oculis ſubjecta fidelibus conſule. Nec te à ſtudio veritatis dimoveant illi, qui craſſo Bœotûm in aëre nati, ne ſenes perdenda fateantur, quæ imberbes didicere piaculum eſſe clamitant à veterum opinionibus recedere. Quis enim præpoſteram iſtam quam vovent antiquitati reverentiam, ut præfixam ſocordiæ larvam non agnoſcat? cùm non ſimili cultu vetuſtas probitatis leges retineant, nec antiquos mores obſervent. An quippe lucro averſum Hippocratis animum, atque ab eo laudatam ἀφιλαργυρίην venerantur illi? quibus adeò curam famæ cupido ſordibus aufert, ut & ſocios ſuis è ſtationibus fraudulenter ejicere, & in eorum ſpolia audeant involare? quid verò dum peregrinas invehunt conſuetudines, parent-ne meliùs editis antiquorum? curant-ne quæ ſunt de ornatu decenti, à divino ſe Medicis imperata, cum Tabaci abuſum, exemplo perniciem deducentes veniens in ævum, amplectuntur? ut nec jam pudeat, faciem illam quæ & modeſtâ ſecuritate, & ſereno aſpectu ægrorum ſpes jubet eſſe ratas, deleterio pulvere conſpurcatam oſtentare, & manus fatali pyxide impeditas, ad judicium de vitâ aut morte ferendum admovere: minimùm ſolliciti, quòd rem nullâ ſatis magnâ mentis contentione agendam, quaſi aliud agentes, & Nicotianæ illuſionibus lymphati, tractare videantur.

II.

ANTIQUOS Medicinæ proceres æquum eſt venerari, non quòd ea ignorarint quæ noſtri ſæculi melior fortuna retexit; ſed quòd multa ſcitu digniſſima invenerint, poſteriſque nova commiſerint plurima, quæ majores illorum non attigerant. Si igitur illi Principes Medicinæ Genii, quos, nullo adhùc præeunte duce, ad penetralia Naturæ ſcrutanda induxit ignea vis animi, hac ætate naſcerentur iterum, tot freti ſubſidiis, quæ nunc ad evolvenda Naturæ myſteria feliciter inſerviunt, quò non, ſuis cognita temporibus promovêrent? & ſua ſi ſcripta ipſi commentariis illuſtrarent, quoties illa legentes ſtylum verterent? quot falſa, quot obſcura, cum veris & evidentibus permutarent? Vana facultatum idola nihil ignorantiæ malum levantia ab Æſculapii templis proſcriberent: nec jam operam perderent, ut inanes elementorum craſes ad ſtateram appenderent; ſed elegantem nervoſarum partium ſtructuram, ſanguinis aſſiduum motum, mutuoſque occurſus amari & acidi, dulcis & ſalſi, quos olim innuerat Hippocrates, ut vitæ, ita & functionum omnium cauſas agnoſcerent. Quæ itaque ſignaſſent veſtigia, ſimili labore, veri illorum diligentiæ cultores ſequantur. Veritatem, quâ nihil eſt antiquius, perpetuò venerentur, ejuſque amorem, vera ſemper tyronibus exponentes, inſpirent. Neque fas ſit, ut ex ſuggeſtu, indocilis quivis fæcunda de gente Meneni, ad libitum, dogmata gentium pene omnium unanimi conſenſu recepta impugnare audeat, ut

obſoletos errores ſcenæ iterum committat, in divinam artem dedecorum injurioſus auctor. Integer mentis, explodat quæ nihil attinent ad mechanicæ leges intelligendas, quibus viventium regitur & ſibi conſtat œconomia, ſenſuumque addictus fidei, illis teſtibus exploret, quid ad breve aut diuturnum ævum, læſam aut integram valetudinem, ſtabilis vel concidens partium textura, æquabilis vel tumultuoſus liquorum motus valeant. Atque ut in juventute firma partium ſtamina, conſtans illorum ſtructura, ſolida membrorum caro, & floridus cutis honos, ipſo tactu & viſu percipiuntur; unde ſanitas inculpata, validumque robur, quod juvenem præſcripta vegetum ad munia præſtat, agnoſcitur: ſic quantam humani corporis trahat ſecum ruinam partium nervoſarum lapſus, & quàm ſanguis à naturali circuitu deficiens, certa ſit & præceps interitus cauſa, multa quæ ſeneſcentem circumveniunt incommoda, edocebunt: neque enim ſolùm marceſcentibus cutis papillis illam rugis ſqualor exarat, depreſſiſve nervorum fornicibus, caro mollis & ex oſſibus pendula, vieta deturpat membra; ſed etiam exolutis ligamentis, tarda podagra vel chiragra contundit articulos; viſcerum fibris ruptis aut attritis, illorum compages ſolvitur, & fatiſcente cordis elaſtico robore, gelidè quidvis ſenex timidéque miniſtrat. Tot porro ruinis acervatim concidentibus; ſic ubique ſanguini intercluditur iter, ut brevior illius in dies circuitus, tandem omnino cum calore & vitâ deſinat. Hæc verò quæ nonniſi poſt longam annorum ſeriem, & ſenſim fatali pereundi neceſſitate, bene natos occupant incommoda; illos ſæpe vel in ipsâ corripiunt adoleſcentiâ, ſi voluptatum abuſu præmaturè vim nervoſarum partium infringant, & ſtructuram ſubvertant, frequenti rerum iſtarum occurſu, quæ fibras membranarum irritant, convellunt, lacerant, torpore aggravant, aut roridi humoris pabulo defraudant. Quorum quidem omnium, Vini, Aquæ vitæ, Opii, & ſimilium, ſed maximè Nicotianæ immoderatus uſus, auctor eſt.

III.

VICTUS Americanus orbis ferum victorem cepit, & Americanos mores Hiſpanis inſpiravit: ſubreptâque novis Dominis libertate, & accelerato mortis gradu maleficæ ſtirpis abuſu, incolarum ſuorum ſervitutem & funera, Luis venereæ & Tabaci donis ultus eſt. Hanc Herbam *Picielt* & *Petum* dictam indigenis, *Tabacum* Hiſpanis, ſicque melius ſitam, dum terra incognita celaret, contaminato cum grege virorum turpi morbo laborantium Iberica claſſis advexit: & utrumque fraude malâ gentibus noſtris intulit, ut cum illis nova morborum hiſce regionibus incumberet cohors. Subductum à Luſitaniâ hujus Herbæ ſemen Nicotii Legati Regis operâ, & terræ mutuato ſub nomine Nicotianæ commiſſum, tam facilè noſtris ſolibus aſſuevit, quàm celeriter pravi do-

cilis Gallica juventus illius abusui mancipata est. Habitu sui generis planta, Hyoscyamum minimum refert: sed viribus Papaverum, Solanorumque omnium adscribenda familiæ, Mandragoram etiam, Solanum furiosum, & Stramonium, sulphure Narcotico, & oleo stillatitio deleterio vincit. Magnis tamen virtutibus æstimanda, si recto & moderato administretur usu, primas inter optima Medicinæ instrumenta partes obtinet. Naribus scilicet, cum opus est, excepta vel integra, vel trita in pulverem membranam stimulat, quæ nasi & ossium quibus extruitur, recessus varios convestit. Illa vero contracta, papillas & glandulas, quibus est intertexta, constringit, atque ex his, velut ex spongiis manu compressis, mucum exprimit: quo quidem expurgato, serosi latices motum eundem secuti, non secus ac aqua siphonibus elicita, è vasis & glandulis vicinis continenter evocantur. Nec instigatione dissimili, sive Tabaci frustulum ore contineatur, sive fumus à fistulis hauriatur; glandulæ maxillis appositæ, & salivæ ductus stimulati, contractione repetitâ salivæ vim maximam evomunt; quâ fluxionum materia derivatur, & successivâ membranarum vellicatione, pulmo viscosâ pituitâ expeditus, ab asthmate, tussi, catarrho, & aliis periculosis affectibus liberatur. Nec modò crudelis dentium dolor ejus sulphure consopitur: quin etiam Nepenthis Homerici vices gerit, sollicitæque inducit oblivia vitæ: contactâ facit in paupertate beatum, & cum spe divite manat in venas, animumque juvat: immo & quibus res est angusta domi, annonæ penuriam fallit, & defluentis in ventriculum pituitæ copiâ, tolerandam præbet inediam, aut stupefacto nervorum sensu, dissimulatâ fame latrantem stomachum lenit. Nec solùm internis medetur incommodis: sed externa quoque depascentia curat ulcera & quæ plurium vim medicamentorum eluserant, putridis absumptis carnibus, ducit ad cicatricem. Sed quantò potentiùs tot præstat admiranda, tantò certiùs constat, quàm multa sint à Nicotianæ abusu pertimescenda. Cum enim caustici vim exerit, quâ & sordida mundat ulcera, & ad vivam usque carnem cadaverosos & quasi corneos extuberantes processus exedit: quos hoc adurente sale tumultus excitabit, si frequentiore consuetudine naribus admota, vel excepta fumo, teneras membranas offendens, gutturis & ventriculi nervos in spasmos egerit, cumque illis nervosum genus omne commoverit? quid damni non afferet saliva, si eo sale imbuta in ventriculum impluens, alimentis admissis, & mox in chylum versis, cum sanguine in totum corpus deportandis, acrimoniæ hujus semina insperserit? an verò minus erit formidandum sulphur illud Narcoticum assiduè inspiratum? quod & atroces dentium cruciatus obtundere, & famem inducto torpore sedare, immò & sensus omnes, atque una principes cerebri functiones ita potis est consopire, ut Nicotianæ ebrius sulphure, pocula lethæos ut si ducentia somnos arente fauce traxerit, miseriarum oblitus sibi beatus

esse videatur. Quis hæc cùm expenderit, si sapit & adhuc liber est, non timeat Danaos & dona ferentes?

I V.

ILLI robur & æs triplex circa pectus erat, qui non ignarus quàm horrenda symptomata Tabaci usum explorantem coriperent, illum tamen voluit experiri. Sed nullum mortis timuit gradum, qui venenum istud Cicutis nocentius, repetitis vicibus ausus est visceribus combibere: nec frequentes terribilis fumi expalluit haustus. Nonne potius illum corpus esse sine pectore credideris, quem non terreat furiarum cohors, quæ ex illa Pandoræ pyxide exigui pulveris emissione miserum invaserit. Enimverò repente nescio quid veneni sævit in præcordiis: nauseâ & cardialgiâ stomachus lacessitur: diro vomitu ventriculus subvertitur: molesta vertigo caput ebrium quassat: tenebricosa suffusio instantis mortis pingit oculis imaginem. Tum porrò quantis anxium corpus caloris & frigoris alternis insultibus horret? quoties cor ipsum muneri deficiens, illi sanguinis & spiritus commercium denegat? adde quòd memoriæ thesaurus prima sit lethæi tubuli præda, quod nec sensuum, nec jam sit rationis compos, qui Nicotianæ sacris initiatur. Hæc si vigil aliquis viderit & vitæ principiorum jacturam prævìderit, quæ tot ex tempestatibus sit pertimiscenda, postponet-ne vivendi desiderium Nicotianæ præstigiis? His juvet incantari miseros, quos tordiora fata votis manent, & ingrata quibus vita ducenda est in hoc, novis ut usque suppetat doloribus, aut quos victus tenuis macerat, deficiente crumenâ. Quærat in Nicotianæ fumo, nauta qui trans mare currit, & miles multo fractus membra labore, quò sibi vitæ tædium dissimulent. Strenua denique hæc exerceat inertia remigium vitiosum Ulyssis, & vulgus otiosum, fruges consumere natum. At si tibi ingenium est non incultum, nec turpiter hirtum, si gratia, valetudo contingat abundè, & tibi quod satis est, dederit Deus artemque fruendi: ut sapiens Ulysses Sirenum vitabis cantus, à stygiis tubulis abstinebis, & odore malefico os & fauces inficere, fugies cane pejus & angue; aut si te virtus deficiat, permittes ut libera amicorum consilia, atque etiam contumeliæ graves, te pudore suffundant, vel ut tandem eripiatur per vim mentis gravissimus error, quamvis sæpe clamites, Pol! me occidistis amici: ne, si te illorum indulgentia Nicotianæ furori commiscerit, non modò pestis illa affligat humi divinæ particulam auræ, & vitiis onustum corpus animum quoque aggravet unâ: sed ne illud ipsum corpus in primo juventutis limine præmaturâ senectute correptum, fiat Libitinæ quæstus acerbæ. Verùm his aures præbet obseratas Nicotianæ fumo lymphatus, aut si monitis annuerit, & hæc severus palam laudaverit, atque etiam servari lubricum ventis diviserit pulverem, jamjam futurus abstinens, jussus contagiosum fugere commercium, clam, quasi dum fallit amicos, se quoque fallat, lethæos redibit

ad tubulos, quibus caput nervos infregit. Impedit enim consilium voluptas rationi inimica, & mentis, ut ita dicam, perstringit oculos: miseraque adeò sors illorum est quos obcæcat, ut mala sua, quod malum est ultimum, ament. In aliis voluptatibus, etiam maximis, diliciæ celeriter deflorescunt, fastidiumque illis est finitimum: atque ut plurimùm, pœnitentiam relinquunt potiùs quam desiderium. Atqui Nicotianæ mancipantur illecebris, ita ejus lenociniis occupantur, ut ex consuetudine necessitas apud eos invaleat: & ex supervacuâ olim nugatione, res seria tandem exsurgat, quâ carere non possint. Immo inde sibi Nestoreos annos, vitamque à doloribus immunem pollicentur; & sanitati se potius quàm voluptati consulere dictitant, si faucibus perpetuò teter halitus saniesque manet: & si quidquid serosi humoris per publicas vias & cæca spiracula solet excerni, ad nares evocent. Verùm in fraudem inducti, odoratus organum præter Naturæ institutum assiduo Coryfæ stillicidio deturpant. Nasus quippe Campanulæ figurâ odoribus excipiendis natus est: non ad percolandos humores instructus, cui muneri destinatæ partes, in morem infundibuli adornatæ sunt. Atque adeò solis infantibus, quibus è rorido nimis adhuc capite, serosa illuvies datâ qualibet porta ruit, muco nares turgent: & senibus, quibus malè jam connexis partium staminibus rimosum corpus effluit, indecora pendet stiria naso. At bene valentes, firmamque agentes ætatem, nisi catarrho laborent, vix mucum naribus deponunt, præter eum quo partis sensus obtunderetur. Longè igitur absunt à Naturæ proposito, qui tenuissimam membranam sagacem odorum judicem, Narcotico Tabaci sulphure, & irriguo humorum flumine obruunt: osseosque cancellos mirâ arte elaboratos ad retinenda suaveolentis corporis effluvia, gravedine perpetuâ impediunt. Quin & divinæ Palladis arcem sordium pondere atterunt; latrinisque ad sublimes ædium partes translatis, mentis solio cloacam admovent. Prodest quidem aliquandò, hærentem à somno mucum sollicitare, & sternutationibus, lympham in vicinis glandulis stagnantem elicere: atque remedio in consuetudinem verso abutuntur, non caput levant, sed opprimunt: & dum futuræ sanitatis spe, morbum sibi continuum ascifcunt, ita lympham à reliqua sanguinis massa divellunt, ut ejus fibræ vehiculo quo ferebantur destitutæ, ferè immobiles coeant, Unde sæpius subitæ mortes, atque intestata senectus, arte malâ provocatum catarrhum excipiunt.

V.

QUÆ res nobis & substantiæ similitudine familiares, & qualitatum temperie benignæ, in usum quotidianum magna cum utilitate usurpantur, abusu fiunt pessimæ: nosque etiam aliquando subversis repentè vitæ principiis jugulant. Ut ideò non raro vini, & alimentorum etiam euchymorum mole nimiâ oppressus calor nativus subitò extin-

guatur; sic & suavium odorum, qui usu moderato naribus admissi cerebrum recreant, & cordis vires reficiunt, frequentior usus, & copia largior, sanguinem accendit, cerebrum concutit, & nonnunquam lipothymiam, aut insultus movet epilepticos. Quis igitur furor est eò usque pernicioso Nicotianæ pulvere abuti? ut non modò sæpius quàm cibus & potus admoveatur: sed eâdem etiam frequentiâ quâ aër in pulmones influit, naribus inducatur, atque ita illarum ductus occupet, ut quidquid aëris continuò per nares ad pulmonem rapitur, deleterio Peti sulphure, & acri sale imbutum accedat, atque hinc sanguini mixtum, divinum laticem malignis spiritibus inficiat: quorum effero motu dum sanguis velut œstro percitus, ut seditiosos & desultorios advenas extra claustra deturbet, sibi luctuosis diffidet armis, infaustum sæpe certaminis exitum immerita pars princeps luit. Titillationem quâ nares movet præstigiatrix hæc Herba, quæ tam imperiosè de humanâ libertate triumphat, ut ejus captivi, etiam inviti, naribus illam inferant, non ineptè narium venerem licet appellare. At quemadmodum voluptatem illam, quam Venus quintâ sui parte nectaris imbuit, brevem epilepsiam vocaverunt antiqui; sic & illam Nicotianæ voluptatem, levem, sed ferè continuam epilepsiam jure dixeris. Hujus enim acri pulvere vellicata quolibet momento tenuis narium membrana, capitis quoque menynges convellit: atque unâ reliquas omnes corporis nervosas partes succutit; visceraque etiam tam frequenter exagitat, ut illa deinceps quâlibet ex causâ ad assuetam commotionem reducantur. Quantùm enim membranæ narium consensus cum remotissimis viscerum nervis valeat ad procellas ejusmodi provocandas, testes sunt repentini passionum hystericarum & melancholicarum insultus, quos fulguris in morem vel levissimâ suaveolentis corporis aurâ nares subeunte, compertum est suscitari, nec minori celeritate ingrati vaporis occursu sedari, quotidianâ notum est experientiâ. Hinc frequenter affectus ille, jam vaporis nomine celebris, occurrit, quem vulgus imperitum, minimeque sollicitum, vera ne an absurda loquatur vaporibus & fumis ad caput, aliasque partes affectas subito advolantibus fingit excitari. Temerè quidem, & inconsultâ præcordiorum structurâ: nulla enim spiracula, aut apertæ satis sese offerunt viæ, quibus ab alvinâ regione ad superiores, tantus vaporum vortex possit erumpere, quanto esset opus ut præceps adeò tempestas insurgeret, quæ genus omne nervosum tumultuosè percellit. Motibus itaque convulsivis tumultus ille viscerum debetur. Fibræ nimirùm & membranæ, quibus compages eorum constat & continetur, aut acidis aculeis confixæ, vel succis austeris corrugatæ, vel tetrâ putridi spiritus mephiti agitatæ, contrahuntur; & successivè varias reliquorum viscerum fibras & membranas nervorum societate conspirantes, immo capitis menynges, similes agunt in spasmos, cerebrum-

que ipſum, contractis ejus involucris, opprimunt. Cum verò hæc ſymptomata partes ſæpius & faciliùs invadant, prout illæ frequentioribus convulſionum inſultibus ferè ſemper tremulæ, quadam ſunt veluti conſuetudine in convulſionem pronæ, palam eſt futurum ut perpetuâ titillatione quàm Nicotianæ abuſus movet, partes nervoſæ omnes ſint ad convulſionem diſpoſitæ : ac proinde quâlibet humorum irritatione, aut odoris appulſu, hiſce convulſivis motibus corripiantur, qui nunc vapores audiunt. Illæ porro turbidis tot ſuccuſſibus diutius laceſſitæ, nativum ſenſim robur deponunt : & mox ingraveſcente tumultu, fibræ partium, dum crebrius contrahuntur, aut violentius extenduntur, diſruptæ tandem, & in ſe invicem ruentes, exiguos tubulorum fornices deſtruunt, arcus obliterant, poros, meatus comprimunt. Atque adeò pervii anteâ ductus paſſim obturati, ſanguinis & ſpirituum commeatum intercipiunt: ut nec in locum particularum quæ motu & expiratione diffluunt, novæ poſſint ſubſtitui; nec reſiduus ſanguis ad venas libere valeat remeare. Unde partes nutritionis beneficio privantur, vel onere ſuperfluo obruuntur, & alterutro pariter contabeſcunt. His accedit, quòd plures nervorum fibræ narcotico Peti halitu perfuſæ ſtupeſcant. Quemadmodum enim Opii ſulphur oleoſis, æthereis, ſalinis, aut aqueis pariter liquoribus diluitur : quo ſingulari diſcrimine à reliquis ſulphuris generibus diſcrepat: ſic & congener Nicotianæ ſulphur, dum conſtrictis ramoſis quibus conſtat particulis arcto ſalinarum fœdere, ſubit inſenſiles fibrarum nervoſarum meatus, atque ibi occurrente lymphâ vel ſpiritu diſſolvitur, & ramoſæ particulæ ſalinis vinculis expeditæ explicantur, ita ſeſe invicem & meatus impediunt, ut ſint ſpiritibus animalibus impervii, donec majore illorum affluente copiâ deturbentur. Verum ſi halitus narcotici ſucceſſive ſibi occurſare non deſinant, exiles fibrarum ductus ita conſtanter obſtruuntur, ut vix ullis admiſſis ſpiritibus, nervos torpor occupet. Unde in ipsâ nonnunquam adoleſcentiâ membra labant; tremor manus ſolitis muneribus impares reddit; illuſi pedes vitioſum corpus ferre recuſant; viſcera marceſcunt; ſpiræ cordis elaſticæ deſultoriè moventur aut ceſſant; & ſic tandem, vel diſruptis & ruentibus partium ſtaminibus, viventis machina diſſolvitur; vel ejus motus, ſine quo nuſquam eſt vita, deficit; ut ideò quæ ſubductâ Nicotianâ tarda fuiſſet neceſſitas lethi, ejuſdem abuſu corripiat gradum.

Ergò ex Tabaci uſu frequenti vita ſumma brevior.

Proponebat Pariſiis HENRICUS-MICHAEL MISSA, Remenſis, è vico Sancti Theodorici, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1733,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.